

1556

*Nicolaus Ze-
ni de agris
ad cultum
reducendis
solertia, &
Senatus de-
cretum.*

dis frugibus apta redderentur. Hujus legis ferendæ auctor Nicolaus Zenus, vir acri, atque expedito ingenio, fuit, cui collegæ Franciscus Barbarus, Antonius Eritius dati fuere; statimque, ut rem conficerent, in continentem profecti, summa diligentia, ac studio ad derivandas convallium, ac paludum aquas, multos fossores adhibuere. Cum vero in Rhodigiorum fines ad Gorzonum se contulissent, & circa ea loca stagnantes aquas ad Brundulanum portum, qui duobus fere passuum millibus a Fossæ Clodiæ civitate distat, deducere decrevissent, ob ingentem, que ex derivatione in eum sinum conflueret, aquarum copiam, haud parum turbati Clodienses, brevique eorum civitatem eversum iri pertimescentes, Patres opem suis fortunis imploratum adiere. Eo periculo animadverso, ut ad Athesis fluminis supra fossionis ostium canales deducerentur, Senatus scivit.

*Sfortia
Pallavicini
peditū
Præfectus
eligitur.*

*Bona Sfor-
zia, Sigis-
mundi Sar-
matia Regis
mater, Ve-
neriis exce-
pra.*

Cum vero sapius de summo militiæ Præfecto creando post Guidi Ubaldi, Urbini Ducis, missionem agitatum esset, infecta re, Sfortiæ Pallavicino, cujus probata in re militari virtus, atque ob res in Pannonia, & Dacia gestas opinio se se apud omnes extulerat, peditatus tantum præfectura attributa est, duobus aureorum millibus in stipendium adjectis, ea conditione, ut belli tempore pedites mille, equites centum, qui ære Veneto militarent, conscriberet. Enituit quoque eo anno in Bonam Sfortiam, Joannis Galeatii olim Mediolanensis Ducis filiam, Sigismundi Sarmatiæ Regis matrem, eximia Senatus liberalitas; quæ cum in Italiam ad Aponenses in agro Patavino thermas valetudinis causa accedere statuisset, ea re Patribus significata per Arthurum Papacaudam legatum; Joannes Capellus continentis Sapiens cum frequenti comitatu obviam venienti ire iussus est. Post aquarum haustum cum ad urbem accessisset, frequens Senatus, nobilesque matronæ bucentauro Reginam exceptam, per amplum, qui totam urbem dividit, euripum, ad Estenses ædes magnificentissimo apparatu instructas deduxere, Ferrariæ & Augustæ Cardinalibus comitantibus. Celebrioribus locis invisendis, cum aliquot dies in urbe insumpsisset, triremibus Venetis, Barium in Apulia oppidum, quod dotali jure Aragoniæ gentis obtinebat, devecta est.

Bel-